





OMISSIO

DISSERTATIO JURIDICA  
DE

1768, 2

36  
18.

# DEPOSITO

RERUM IMMOBILIUM, <sup>16</sup>

Don

*Vertrauung unbeweglicher*

*Güter /*

QVAM

EX DECRETO

MAGNIFICI ICTORUM ORDINIS

IN ILLUSTRI CHRISTIAN-ALBERTINA,

*Solemni Disquisitioni subicit*

PRÆSES

REINHOLDUS FRIDERICUS

*S A S M E /*

J. U. D.

RESPONDENTE

CHRISTIANO ALBERTO OPITIO,

Kilonienf. LL. Studiol.

D. 21. April. A. MDCC LIX.

KILONI,

Literis Bartholdi Reutheri, Academ, Typogr.

ILLUSTRI, MAGNIFICO atque GENEROSISSIMO  
DOMINO,  
JOH. PHILIPPO  
von  Saurwitz /

DOMINO  
*in Salau / Wartnicken / Regitten etc.*  
SERENISSIMI ac POTENTISSIMI  
PRUSSORUM REGIS

SUPREMI TRIBUNALIS PRUSSICI,  
AULÆQUE REGIÆ CONSILIARIO  
FULGIDISSIMO,

V I R O  
MERITIS IN PATRIAM SUMME CONSPICUO  
PRUSSICÆ NOBILITATIS ORNAMENTO,  
MUSARUM DELICIIIS,  
CLIENTUM ASTILO,

DOMINO SUO GRATIOSO,  
HAS DE DEPOSITO PAGELLAS IN GRATIPECTORIS SIGNUM  
REVERENTER DEPOSIT,

AC SE SUÆ STUDIA ULTERIUS COMMENDAT,

REINH. FRIDER.  Sähme / D.



J. N. D. N. J. C.

CAPUT I.

DE

Deposito rerum immobilium  
in genere.

SUMMARIA.

*Etyologia Depositi. num. 1. Homonymia; improprie pro destructione sumitur. 2. proprie pro commendatione. 3. tuncque denotat vel rem depositam. 4. vel actionem. 5. vel contractum. 6. Synonymia & definitio. 7. Divisio. 8. quodnam hic Depositorum veniat? 9. Res immobilis quid? 10. considerantur vel naturaliter. 11. vel juris intellectu. 12. ambe huc spectant. 13. circa juris intellectu tales tanta non est controversia. 14. Ratio ordinis. 15.*

**A**Ntequam ipsam aggrediamur tractationem, non incongruum erit more hactenus usitato terminos Rubri succincte percurrere. Depositorum itaque appellatur a deponere seu ab eo quod ponitur *L. 1. pr. ff. depositi*. Ponere autem hic idem denotat ac fidei alicujus committere; & prepositio *De* auget significationem verbi, ut ostendat totum fidei ejus commissum, quod ad custodiam rei pertinet. *d. L. 1. pr. ibique Gothofred. lit. b.* inde Germanis deponere denotat einem etwas anvertrauen. Non una vero ratione in Jure accipitur vocabulum depositi:

A in

UM



2  
 3 terdum enim plane pro destructione seu demolitione rei  
 alicujus fumitur. *L. 83. §. 5. ibi. deposita tigna ff. de V. O.*  
 4 *L. 23. §. f. ibi depositis adibus ff. de Usurp. & Usucap. L. 9.*  
 5 *§. 2. ff. quod met. caus.* quæ tamen significatio impropria  
 6 est, & prorsus huc non pertinet. Proprie ergo deposti-  
 7 tum idem est ac commendatio, qua aliquid alicui custo-  
 8 diendum commendatur: Sicque (1.) denotat rem ip-  
 9 sam depositam *L. 1. pr. & s. 12. ff. Depos. Germ. anver-*  
 10 *traut Gut.* (2.) Actionem ex deposito proficiscen-  
 11 tem, *Rubr. ff. Depos.* (3.) principaliter & secundum  
 excellentiam contractum realem, *§. 2. f. de f. N. G. &*  
*7 C. §. 3. f. quib. mod. re contr. oblig.* Dicitur alias in hoc  
 posteriori sensu etiam depositio *L. 1. s. 2. & 22. ff. Depos.*  
 item commendatum seu commendatio, commendare  
 enim est deponere *L. 186. ff. de V. S. L. 24. ff. Depos. Germ.*  
*Anvertrauung der Güter item treue Hand. Jus. Lubec. Lib.*  
*3. tit. 3.* & definitur, quod sit contractus realis, quores  
 gratis custodienda traditur & recipitur, *§. 3. Inst. quib.*  
*3 mod. re contr. obl.* Dividitur a Ddbus (1.) in regulare  
 & irregulare, (2.) in Sequestrum & Depositum in spe-  
 cie ita dictum, hocque iterum in voluntarium & neces-  
 sarium; a nonnullis etiam (3.) in Depositum juris &  
 facti, quæ tamen singula pertractare nostri non est insti-  
 9 er in *Comment. ad §. 3. f. quib. mod. re contr. & c.* Nobis  
 hic depositi nomine depositum in specie sic appellatum  
 10 venit, & potissimum quatenus est contractus. Per res  
 immobiles intelligimus illas, quæ de loco in locum citra  
 11 rei corruptionem moveri nequeunt; quod ipsum con-  
 tingere potest. 1. *naturaliter*, quemadmodum sunt res  
 foli,

foli, die liegende Gründe / uti fundus *L. 1. ff. de Condict. Triticiar.* ædes, metallifodinæ, die Bergwercke / item res solo coherentes. *L. 3. §. 15 ff. de Vi & vi armat.* quæ vel coherent naturâ, ut Arbores radicatæ *L. 7. §. 5. ff. quod vi aut clam.* vel factio hominis, ceu molendina pneumatica &c. 2. *Juris intellectu*, qua ratione mobilia certo in loco perpetui usus causa collocata pro immobilibus habentur. *L. 17. §. 7. ff. de Act. Em. Vend.* uti Servi adscriptitii. *Nov. 7. in præf.* animalia ferrea &c. conf. Hopp. *in Comment. ad §. 2. Inst. de Reb. corporal.* De utrisque quidem hic erit quæstio: An objectum depositi constituere possint? & quid aliàs juris circa illas competit? quoad prius tamen circa res immobiles juris intellectu tales tanta fortè non est controversia, dum simul ac à loco illo, in quo perpetui usus gratia collocata sunt separantur, in mobilium naturam degenerare videntur. De immobilibus autem naturaliter talibus non una apud Ddres residet opinio. Ut distinctè hic procedamus, prius argumenta negantium in *cap. II* afferemus. In *cap. III* dari rerum immobilium depositum dabimus probatum; In *cap. IV* ad argumenta contraria respondimus. In *Vto* denique quid singulare circa illud depositum obtineat, perlustrabimus; Faxit DEus feliciter!

## CAPUT. II.

Pertractans Quæstionem: An detur depositum rei immobilis?

Negativè.

SUMMARIA.

Ab hac Quæstione tota tractatio dependet n. 1. neque est merè theoretica.

A 2

2. Ra-

2. Ratio Neg. 1. quia repugnat Etymologia nominis 3. Rat. II. quia nullum ejus in Jure Exemplum. 4. Rat. III. quia custodia cessat in immobilibus. 5. IV. neque est necessaria. 6. Rat. V. talis custodia in mandatum incidit. 7. Rat. VI. quod Domino utilius propter prestationes. 8. Rat. VII. magis etiam usitatum. 9. Rat. IIX. Consensus Jctorum. 10.

- 1 **Q**uæstionis hujus consideratio: An scilicet detur depositum rei immobilis? seu: An res immobilis ita sit comparata, ut objectum depositi constituere possit? merito ante omnia est præmittenda, quia ab illâ universa dependet tractatio; Si enim plane non datur, nihil quoque juris circa illud obtinebit, dum juxta vulgatum illud: *non entis nullæ affectiones existunt*. Neque merè theoretica hæc est Quæstio, sed sua in Praxi gaudet utilitate, dum multum interest, num depositum an alius Contractus fuerit celebratus, ratione præstationum, quæ pro diversitate contractus modo graviores modo leviores deprehenduntur, conf. *Dn. Stryk de Caut. Contr. Cap. 2. Sect. 3. §. 6.* Sed de his pluribus infra dispiciemus.
- 3 Quod ergo propositam Quæstionem concernit, primo quidem intuitu *Negativa*, quod scilicet res immobilis non possit deponi, verior videtur ex sequentibus rationibus. I. Notum est, quod nomina rerum ut plurimum ita sint comparata, ut naturam rei quoad omnia exprimant: Sed depositum rei immobilis repugnat Etymologiae nominis: Dicitur enim, uti supra dictum à *de & ponere L. 1. pr. ff. depos.* nihil autem potest poni, quod de loco in locum moveri & ita in manum quasi tradi nequit; cum ergo immobilia v. g. Domus, fundus &c. ita citra corruptionem moveri & transferri non possint,
- 4 consequens est, illa neque posse deponi. II. Nullum quo-



quoque in toto jure rei immobilis depositæ reperitur exemplum, nec ulla ejus mentio injicitur, sed omnes quotquot inveniuntur textus de re mobili solummodo loquuntur, uti *L. 1. §. 8. 9. 11. sequ. ff. Depos. Tacente ergo Lege, & nostrum est tacere.* III. In immobilibus etiam finis & effectus depositi cessat, qui est custodia; Ideo enim deponuntur res, ut custodiantur: Sed quomodo res immobiles possunt custodiri, dum omnibus patent? qua ratione prædia, prata, ampli agri & ejusmodi aliæ res custodiâ muniri? custodia ergo illa nulla est. Imo IV. neque necessaria est custodia, siquidem res immobilis farto auferri nequit; §. 7. *Inst. de Usucap. L. 38. ff. de Usurp. & Usucap.* ædificia, agros nemo rapiet vel surripiet, quid igitur opus est custodia? inde V. ejusmodi custodia in mandatum potius incidit; quandoquidem res immobilis non nudam tantum requirit custodiam, sed & aliam curam, ut quis v.g. sæpius se in locum custodiendū conferat, eum oculis subjiciat, an omnia benè se habeant perlustret &c. quæ sane ita sunt comparata, ut sine facto quodâ fieri non possint: corroboratur id ipsum per *L. 5. §. 4. ff. de præscr. verb. ibi possum tibi mandare, ut & custodiam mihi præstes.* Quò etiam inclinare videtur Grotius *Lib. 2. de I. B. & P. cap. 12. §. 2.* dicens mandati speciem esse depositum. Quod ipsum VI. longè quoque utilius est Domino propter præstationes graviores, *arg. L. 21. C. mandati.* In deposito enim, uti notum, regulariter tantum præstatur dolus & lata culpa §. 3. *I. Quib. mod. re contr. oblig.* in mandato autem levissima. *L. 13. C. mandati.* Præstat igitur mandare alicui ut domum custodiat, quam ut ea deponatur: priori quip-

pe casu alter ad exactissimam obligatur diligentiam, posteriori verò tantum ad qualemcunque, quæ latae culpæ opponitur. VII. Magis certè usitatum est ejusmodi rebus ex mandato præficere custodem *arg. L. 1. §. 1. ff. de Procurat.* quam easdem deponere, quod 10 quotidiana docet experientia. Confirmat hanc sententiam consensus excellentissimorum Istorum, quemadmodum tam ex veteribus quam recentioribus conferri possunt Azo *in Summ. C. tit. Depos. n. 5.* Accursius, Bartolus, Baldus *ad tit. ff. de pos. Schneidevvin. Wesenbec. Mynsinger. Heig. in Commentar. ad §. 3. Quib. mod. re contr. oblig.* Treutler. *Volum. 1. Diss. 26. th. 4. lit. D.* Sutholt. *Diss. 13. aph. 54.* Giphani. *in L. un. C. de prohib. Sequestr. pec. Arumæus Exerc. 12. th. 14.* Wissenbach. *Diss. ff. 31. th. 1.* Struv. *Exerc. 21. th. 35.* Christinæus *vol. 3. dec. 48. num. 2.* Zoef. *ad ff. tit. de pos. n. 1.* Hane- doef. *Exerc. Imp. 16. Qu. 17.* Dn. Stryck *de Caut. contr. cap. 2. Sect. 3. S. 6.* Hopp. *in Comment. ad §. 3. F. Quib. mod. re contr. obl. B. Brunnemann. Exerc. 17. ad Inst. §. 3. d. tit. n. 2.* qui hanc communem Doctorum sententiam esse dicit, ipse tamen sibi contrarius *in Comment. ad L. 6. ff. de pos.*

## CAPUT III.

Ostendens dari Depositum re-  
rum immobilium.

## SUMMARIA.

*Affirmativa Quest. verior est n. 1. Rat. I. quia res immobilis custodiam recipit. 2. Ratio ration: potest enim corrumpi & damnum pati. 3. à custodia ad Depositum firmum est argumentum. 4. Obj. distinguendo inter custodiam rei & circa rem. 5. Resp. (a) hæc distinctio non est fundat. a. 6. (β) nulla inter utramque custodiam realis differentia. 7. (γ) custo-*  
dia

dia circa rem etiam obtinet in deposito. 8. & cadit etiam in rem mobi-  
 lem. 9. (d) custodia rei quoque in immobilem. 10. (e) custodia circa  
 rem non semper curam requirit. 11. & res mobilis saepe curam  
 indiget. 12. imo saepe majori quam immobilis. 13. Rat. II. Res immo-  
 bilis potest commendari. 14. Rat. III. nullibi prohibetur deponi. 15.  
 Rat. IV. inter dictum Unde vi datur de rebus depositis & tantum in immo-  
 bilibus obtinet. 16. Objectio resolvitur. 17. 18. Rat. V. Res immobiles  
 possunt sequestrari. 19. Sequestrium & depositum ratione custodiae coin-  
 cidunt. 20. Rat. VI. Intentio contrahentium est custodia. 21. Rat. VII. De-  
 positarius alias damnum sentiret. 22. Consensus Deorum remissive. 23.

**S**peciosa fateor, videntur, quæ superiori Capite vidimus  
 Argumenta, accedente tot tantorumque Jctorum au-  
 toritate; interea tamen moveri nondum possumus, ut  
 illi subscribamus Sententiæ; Sed salvo aliorum iudicio  
 contrariam defensori sumus opinionem, probaturique  
*rerum immobilium verum & proprie sic dictum dari depo-*  
*situm.* Et I. quidem extra controversiam positum esse vi-  
 detur, quod res quoque immobiles custodiam recipi-  
 ant; Satis superque id colligitur ex L. II. *ibi in insula cu-*  
*stodienda ff. de peric. & commod. rei vend. L. 60. §. fin. ibi*  
*custodiendi fundi ff. de legat. 3. L. 16. §. 1. ibi. fundum, ædes,*  
*saltuarium, insularium custodire ff. de Usu & habit. L. 55.*  
*pr. ff. locat. cond. L. 3. §. f. de Acqu. vel amit. poss. Neq; ra-*  
*tionem destituitur hoc assertum: Cui enim ignotum est,*  
 quod etiam res immobilis corrumpi & damnum pati  
 possit, nisi custodiatur, surreptis veluti januis aut fene-  
 stris, aut seris ædium, vel avulsis plantis aut fatis ramis-  
 que arborum amputatis. Franzke in Comment. ad ff.  
*iii. Depos. n. 8.* Jam autem custodia primarium est re-  
 quisitum depositi, §. 3. *7. quib. mod. re contr. L. 1. pr. ff.*  
*Depos. inde firmiter ita argumentari licet: Quæcun-*  
 que

- que sub custodiam cadunt, illa etiam possunt deponi,  
 5 sed res immobiles cadunt sub custodiam. Ergo. Nec  
 est, quod hic distinguere velis inter custodiam rei &  
 circa rem, dicendo, hanc quidem recipere res immo-  
 biles, in deposito vero tantum esse custodiam rei: nihil  
 enim aliud promittere depositarium, quam per se non  
 fore, quo minus res integra & illaesa restituatur; custo-  
 diam autem circa rem aliquam simul facti curam requi-  
 rere, ut quis v. g. saepe se conferat in locum custodien-  
 dum, eum oculis subjiciat, adeoque notissimos depositi  
 terminos excedere. vid. Hopp. in *Comment. ad §. 3. J.*  
 6 *Quib. mod. re contr. obl.* Nam responderi potest (a)  
 quod haec distinctio in Jure non sit fundata, ex nullo  
 enim juris textu demonstrari, nedum probari poterit.  
 7 (β) Nondum adeo plenè constat, quænam sit realis  
 differentia inter custodiam rei & custodiam circa rem.  
 8 (γ) neque apparet ratio, cur custodia circa rem non  
 etiam locum obtinere possit in deposito; non solum e-  
 nim res custodiri debet ne auferatur, sed etiam ne cor-  
 rumpatur, aut aliò modo detrimentum capiat, nam de-  
 positarius præstat dolum & latam culpam, §. 3. *J. d. t.*  
 9 Si igitur etiam res mobilis v. g. cantharus fuerit depo-  
 situs, custodiendus erit, non tantum ne furto subtraha-  
 tur, verum etiam ne fortè malitioso usu atteratur, vel  
 in ejusmodi locum collocetur, ex quò damnum incur-  
 10 rere possit. Quis jam non videt, custodiam illam cir-  
 ca rem etiam in re mobili obtinere? E contra (δ) nihil  
 quoque obstat, quod in re immobili custodiam rei obti-  
 nere possit: Jam enim supra diximus, quod & arbores  
 & plantæ, & aliæ res solo cohærentes furto auferri  
 possint, quas tamen immobiles esse nemo facilè nega-  
 verit.

verit. (e) Falsum quoque est, quod custodia circa rem 11  
 talem simul facti curam requirat, ut eapropter termi-  
 nos depositi excedat & in mandatum degeneret. Nam  
 quodnam hoc est factum? quænam cura? ut in locum  
 custodiendum quis se conferat eamque oculis subji-  
 ciat; Sanè & si res mobilis v. g. gemma sit deposita, 12  
 nonne depositarius in arca illam reconditurus, in locum  
 illum ubi arca est, se conferre debet? nonne eandem  
 oculis subjicere? vel si equus sit depositus, nonne se  
 in stabulum recipere? Quinimo si depositum manet, 13  
 quando Servo custodiendo cibaria præstantur L. 1. §. 9.  
*ff. Deposit.* quod tamen majus factum est, & specialem  
 curam requirit; quidni etiam res immobilis custo-  
 dienda deposita esse dici poterit, cum vel plane  
 nullam vel ad minimum exiguam curam exposcat.  
 Sed his non diutius immorabimur, nam & alia sup- 14  
 petunt rationes, quibus sententia nostra stabiliri potest.  
 II. Etiam res immobilis ita comparata est, ut com-  
 mendari & fidei alicujus committi possit. Fluit hæc ra-  
 tio ex priori: quicquid enim custodiam recipit, etiam  
 alteri potest commendari; at commendare est deponere,  
 L. 168. *ff. de V. S. L. 24. ff. Deposit.* inde Paulus *lib. 2. Sen-*  
*tentiar.* ait: *Deponere videtur, qui rem custodiendam*  
*commendat.* conf. Gothofred. *ad. L. 26. depos. lit. C. in*  
*fin.* III. Nullibi in Jure prohibentur deponi res immo- 15  
 biles; nullus siquidem textus ostendi poterit, ex quo  
 prohibitio illa possit probari: Erit itaque ex genere  
 permissorum. IV. Exinde quoque rerum immobili- 16  
 um depositum confirmatur, quod interdictum Unde

16 vi etiam de rebus depositis detur *L. 1. §. 33. ibi: Si  
 quæ apud eum depositæ ff. de Vi & Vi armata.* Sed hoc  
 interdictum non habet locum in rebus mobilibus, ve-  
 rum in immobilibus tantum, *L. 1. §. 6. L. 3. §. 15. ff. dict.*  
 17 *tit. inde necessario sequitur, quod in d. l. §. 33. per rem  
 depositam intelligatur res immobilis, & per confe-*  
 18 *uens illa etiam deponi possit. Nec iuvat, si regere-*  
 19 *re velis, quod interdictum hoc in all. L. de rebus depo-*  
 20 *ditis non detur directo, sed per consequentiam, quate-*  
*nus scil. accessiones fundi fuerunt. Hopp. in Comment.*  
*ad §. 3. Quib. mod. re contr. nam in d. §. 33. de re depo-*  
*sitæ simpliciter tali, non tanquam accessoria fundi ser-*  
*mo est; neque etiam depositum accessio fundi nisi*  
*valde improprie dici potest, non enim fundo depo-*  
*nitur sed personæ. V. Non exigui momenti hæc quo-*  
*que videtur esse ratio, quod res immobiles possunt se-*  
*questrari. Extra controversiam hoc est, & juris quoque*  
*textibus probatur. L. 21. §. ult. ff. de Appellat. L. 5. C. quor.*  
*appellat. non recip. L. un. C. de prohib. sequest. pecun.*  
*cap. un. X. de Sequest. possess. ac in Praxi quotidie ob-*  
*servatur: Sequestrum autem speciem esse depositi o-*  
 20 *mnibus constat & in confesso est. Nec obstat, si dixe-*  
*ris, hic non esse sermonem de depositò in genere tali,*  
*quod & sequestrum comprehendit, sed de depositò in*  
*specie, quatenus illud sequestro opponitur: Nam ea-*  
*tenus ratione scil. custodiæ sequestrum cum deposito*  
*in specie tali coincidit; non enim aliter inter se diffe-*  
*runt, quam quod in sequestro res litigiosa, in deposito*  
*vero non litigiosa deponatur; quæ differentia non*  
 mu-

mutat formam seu rem ipsam, sed tantum qualitatem quandam rei; neque ulla apparet ratio, quare cum v.g. domus litigiosa rectè dicatur deponi, non idem quoque do domo non litigiosa dici possit, cum utriusque & sequestri & depositi finis primarius sit custodia L. 6. ff. *depos. conf.* Vinn. in *Comment. ad §. 3. Inst. Quib. mod. re contr. obl. num. 1.* Et inde VI. ex fine quoque & intentione contrahentium semper contractus æstimandus est. Finis autem, uti modo diximus, est custodia, neque aliud intendit deponens domum v.g. vel fundum commendans, neque depositarius custodiam in se recipiens, contractus ergo ultra intentionem contrahentium operari nequit. Præprimis cum VII. depositario grave aliàs contingeret præjudicium, si in re immobili deposita magis obligatus esse deberet, quam in re mobili: nemo autem præter necessitatem ad majora est adstringendus; Jura quippe magis prona sunt ad liberandum quam obligandum; Ut taceam, quod officium depositarii, quod tamen est gratuitum, revera hac ratione ei foret damnosum. Consentiant nobiscum 23

Bachovius *ad Treutl. vol. 1. Diss. 26. th. 4. lit. D.* Franzke in *Comment. ad ff. tit. Depos. n. 6. sequ.* Harprecht in *Comment. ad §. 3. Inst. Quib. mod. re contr. obl. n. 18.* Vinn. *ad eund. §. n. 1.* Gædd. *ad Rubr. X. de Sequestr. poss. n. 10. & ad L. 110. de V. S. n. 10. sequ.* Lauterbach. *Colleg. Theor. pract. tit. Deposit. §. 10. & Comp. Jur. pag. 278.* Hahn. *ad Wesenb. tit. Depos. n. 4.* Schnobel. *Diss. ad ff. 10. th. 15.* Perez in *C. tit. depos. num. 3.* Strauch. *Dissert. 13. apb. 14.* Hunn. *Encyclop. Jur. part 3 t.*

II. c. 1. n. 6. Simon. in not. ad Grot. Lib. 2. c. 12.  
 §. 2. Meier in Comment. ad §. 3. J. quib. mod. re contr. & c.

## CAPUT IV. Continens Responſiones ad Argu- menta contraria.

### SUMMARIA.

Connexio. num. 1. Resp. ad I. (1.) argumentum Etymologia est infirmum.  
 2. (2.) nec universale, 3. (3.) Sequestrum etiam est depositum 4. (4.)  
 hæc derivatio non est Grammatica sed Juridica 5. Resp. ad II. licet nul-  
 lum exemplum adsit, non tamen prohibetur. 6. Resp. ad III. & IV. re-  
 missive. 7. Resp. ad V. (a) datur custodia sine cura. 8. (B) etsi cura  
 adsit, tamen manere potest depositum. 9. (γ) qualitas non transfor-  
 mat contractum. 10. (δ) Mandatum non est nisi de negotio. 11. (ε)  
 Depositum sine re non contrahitur. 12. bene tamen mandatum. 13. (ζ)  
 mandatum & depositum sine differunt 14. (η) Resp. ad L. 5. §. 4. ff.  
 de præser. verb. 15. 16. Resp. ad VI. quod Domino utile alteri nocet.  
 17. Resp. ad VII. magis usitatum non excludit id. quod minus est. 18.  
 Resp. ad IIX. Ddrium autoritas nihil operatur. 19.

**E**X his diductis haud difficulter jam constare poterit  
 dari verum & propriè sic dictum depositum rerum  
 immobilium, ac proinde facilis quoque erit responſio  
 ad argumenta contraria superius allata. Ad I. ergo,  
 quod ab Etymologia desumptum erat, Resp. (1.) quod  
 argumenta Etymologica ut plurimum satis sint infir-  
 ma; nec (2.) universalia; ut enim multa alia taceamus,  
 eâ ratione neque pignus in re immobili constare posset,  
 dum à pugno appellatur, quia res quæ pignori dantur  
 manu traduntur L. 238. ff. de V. S. cum tamen contra-  
 rium notissimi juris sit, vid. L. 1. §. 2. ff. de pignor. Imo  
 (3.)



(3.) Sequestrum ut paulò ante diximus res immobiles 4  
 admittit; & tamen sub generali voce Depositi continetur. Bacchov. *ad Treutl. loc. all.* (4.) optimè respon- 5  
 deri potest, quod hæc derivatio depositi non sit Gram-  
 matica; sed Logica vel potius Juridica: non enim ita  
 appellatur ratione rerum quæ deponi possunt, neque  
 respectu motus, qui rebus deponendis inest, seu ut de  
 loco in locum transferri possint; Sed ponere hic in sen- 6  
 su Juridico idem denotat, quod fidei alicujus commit-  
 tere, inde Ulpianus dicit: *præpositio De auget deposti-  
 tum, ut ostendat, totum fidei ejus commissum, quod ad cu-  
 stodiam rei pertinet. L. 1. pr. ff. depos. Gædd. ad L. 110. ff.  
 de V. S. n. 3.* Ex Ista ratione nihil prorsus colligitur; 6  
 etsi enim nullum hujus depositi exemplum extat; attamen  
 nusquam etiam prohibetur: præterea §. 3. *Inst. Quib. mod. re contr.* aliique textus indefinite loquuntur  
 de rebus, quarum nomine etiam immobilia venire posse  
 nullum est dubium. Lauterbach. *Colleg. Theor. Pr. Tit. Depos. §. 10.* Illta & IVta ratio exiis, quæ *Cap. 7. præced.*  
*diximus, satis superque refutatur.* Sufficien-  
 ter enim ostendimus res immobiles & custodiam reci-  
 pere, & eam esse necessariam, quia licet in se furto au-  
 ferri non possint, possunt tamen corrumpi, janua item  
 fenestra &c. surripi vel effringi, aut in prædiis rusticis  
 plantæ evelli, arbores frugiferæ excidi, frumentum  
 defalcari. conf. Meier. in *Comment. ad. §. 3. Inst. Quib. mod. re contr.*  
 Magis stringere videtur Utum argumen- 8  
 tum, quod scilicet talis custodia in mandatum incidat. *L. 5. §. 4. ff. de præscr. verb.* Sed tamen & ad illud responde-  
 ri

- ri potest (α). Quod etiam dari possit nuda custodia, & diu v. g. horti, fundi, sine ulla cura. (β) posito, quod aliqua interveniat cura, nondum tamen sequitur, quod tunc statim desinat esse depositum; namque supra jam diximus, quod & servus & equus curam aliquam requirant cibariorum scil. vel alimentorum, & tamen maneat depositum. L. 1. §. 9. ff. *depos.* Lauterbach. *loc. all.* in primis (γ) cum levis qualitas non statim transformet contractum: contractus enim ex conventionem contrahentium accipiunt legem, & licet nonnunquam duo concurrere videantur contractus, ille tamen celebratus intelligitur, quem partes designaverunt. Sic & pactum usurarum in deposito pecuniæ illud non mutat, si contrahentes depositum manere velint. L. 24. Li. 26. §. 1. ff. *deposi.* Bachou. *ad Treull. vol. 1. disp. 26. Lit. D.* (δ) Mandatum nullum est nisi de negotio, ac de eo principaliter etiam contrahitur. L. 1. ff. *de Procur.* L. 1. L. 3. §. 1. ff. *Mand.* Custodia vero per se negotium non est, sed negotii subjectum. (ε) Illa conventio quæ fit custodia gratia nunquam potest sine re contrahi, neque antea perfecta est, quam si res sit tradita custodia gratiâ. L. 1. ff. *Depos.* §. 3. *J. Quib. mod. re contr.* est enim contractus realis; At mandatum solo consensu, sine rei intuitu ac traditione est, & statim ipso consensu absolvitur. §. 1. *inst. de oblig. quæ ex consens.* §. 1. *J. de mandat.* L. 2. ff. *eod.* est enim contractus consensualis. (ζ) mandati finis est ut aliquid geratur, depositi custodia; in custodia vero rei immobilis nihil geritur. Gædd. *ad L. 110. ff. de V. S. n. 3.* (η) quod L. 5. §. 4. ff. *de præscr. verb. in spe-*

specie attinet, respondent quidem nonnulli, quod ibi non agatur de nuda custodia rei immobilis, sed quod præter custodiam adhuc aliud quid principaliter fuerit commissum, ut mandatum potius censeatur debet quam depositum; conf. Meier in *Comment. ad §. 3. f. quib. mod. re contr. obl.* Verum nos simpliciter dicimus, quod nihilominus maneat depositum, etiam si annexam habeat mandati legem: si enim potest esse mandatum annexam habens custodiae legem, L. 1. §. 12. 13. ff. *deposit.* quare non etiam depositum licet mandati lex accesserit; inprimis cum ut aliquoties jam diximus, intentio contrahentium sit respicienda. vid. Bachov. *ad Treul. l. all. Lauterbach. Coll. Theor. Pr. d. §. 10.* In VIto argumento verissimum quidem est, esse Domino utilius ex mandato agere, quam ex deposito: Sed quod illi utile, alteri vicissim est nocivum; hac enim ratione depositarius contra suam intentionem & naturam contractus strictius obligaretur, Dominus autem revera locupletior cum alterius damno fieret, quod tamen iniquum. Quoad VIIum argumentum lubentes quidem concedimus, magis usitatum esse ad custodiam rerum immobilium mandatarium constituere, exinde tamen nondum sequitur, quod non etiam depositum in iisdem locum habere possit, quodque si custodia simpliciter sine ulla mentione mandati fuerit commissæ, depositum non potius maneat quam mandatum. Quod tandem HXvo Ddrum auctoritatem attinet, illa contra rationes nihil operatur; præcipue cum ut cap. præced. innuimus non minoris auctoritatis à nostra parte deprehendantur.

CA.

CAPUT. V.  
DE  
Reliquo Depositi Rerum Immobili-  
um Jure.

## SUMMARIA.

*Connexio, num.* 1. *Depositum rerum immobilium recte dividitur in voluntarium & necessarium.* 2. *non verò in regulare & irregulare.* 3. *licet depositarius re immobili utatur.* 4. *Qu. An fundo in genere depositò etiam accessoria videntur deponita?* 5. 6. 7. *Requisita hujus contractus.* 8. *Naturale depositi.* 9. *Effectus: Depositarius principaliter obligatur, deponens minus principaliter.* 10. *inde actio directa & contraria.* 11. *Directa quenam?* 12. *Si plures heredes adsint.* 13. 14. 15. *Si fundus apud plures sit depositus.* 16. *Ad quid detur hæc actio.* 17. *Res immobilis cum fructibus restituenda.* 18. *Usuræ non nisi ex morâ debentur.* 19. *non ob solum usum.* 20. *Depositarius dolum & latam culpam prestat.* 21. *non levem nisi certis in casibus.* 22. *de casu fortuito.* 23. *Qu. An in communi periculò edes deposite propriis præferenda?* 24. 25. *Resp. neg.* 26. *Actio contraria.* 27. *sequ.*

**1** Postquam itaque satis hætenus evictum, dari depositum rerum immobilium; nunc etiam quid porro circa idem juris sit, paucis attingemus: Eo breviores autem esse possumus, partim quod plurima hic occurrentia cum depositò rei mobilis sint communia, partim etiam quod nihil hac de re apud DD. inveniamus **2** consignatum. Et primò quidem nihil ob stare videtur, quo minus etiam depositum rei immobilis dividi possit in *voluntarium*, quod fit libera voluntate, & *necessarium*, quod fit ex aliqua necessitate, nam & domus ob imminens periculum tumultus, incendii &c. rectè custodiri & sic quoque deponi potest *Arg. L. 1. §. 12. ff. Depos*

31

*Depos.* Illa vero divisio, qua depositum in regulare & irregulare dispefcitur, ad rem immobilem applicari non potest: quamvis enim etiam domus eâ Lege deponi possit, ut depositarius illa uti queat, & sic tali casu terminos depositi excedat, quia tamen non est res fungibilis, neque in genere, sed in specie restituenda debet, & principaliter custodia gratiâ est tradita, hinc & tale depositum non ad irregulare, sed regulare referendum erit. Vid. Lauterb. Colleg. Theor. Tract. Tit. Depos. §. 2. De eo autem hic est Quæstio: Si fundus in genere fuerit depositus, sine ulla mentione rerum in illo contentarum, an v. g. Plantæ, Arbores. instrumenta item fundi ad agriculturam spectantia &c. etiam deposita videantur? Videtur dicendum quod sic, quia accessorium sequitur principale Arg. §. 26. 7. de Rer. divis. Contrarium tamen disertis verbis disponitur in L. 1. §. 5 ff. Depos. ibi: *quæ depositis rebus accedunt, non sunt deposita, ut puta, si homo vestitus deponatur, vestis enim non est deposita, nec si equus cum capistro, sed solus equus depositus est.* Quæ licet ita sint, in ipsa tamen restitutione & depositi actione etiam rerum accessoriarum ratio habetur, L. 1. §. 24 ff. dict. Tit. & si depositarius circa illa dolum commiserit, rectè eo nomine convenitur, Arg. L. 5. §. 9. ff. Commod. Conf. Lauterb. loco all. §. 12. Cæterum, quoad requisita hujus contractus nihil hic peculiare occurrit: consistunt illa in eo, ut (1.) res sit tradita ab initio primario & principaliter custodia gratiâ §. 3. Inst. quib. mod. re contr. obl. (2) ut custodia illa gratis sit recepta, sine mercede, quia alias degeneraret in locationem conductionem L. 1. §. 9.

C

6

9. ff. *Depos.* Honorarium tamen non respuit, L. 1. §.  
 24. ff. *de vi bonor Raptor.* Ad naturale depositi referri  
 potest, quod neque dominium, neque possessio domus,  
 10. fundi, vel agri depositi per traditionem in accipientem  
 transferatur, L. 17. §. 1. ff. *Depos.* Effectus in eo consistit,  
 ut depositarius principaliter obligetur ad domum v. gr.  
 custodiendam, eandemque in specie restituendam §. 3.  
 11. *Inst. quibus mod. re contr. oblig.* & quidem quodcum-  
 que deponenti placuerit. Minus principaliter autem  
 12. obligatur deponens, ad indemnitate depositario præ-  
 standam. Ex obligatione principali oritur actio depo-  
 13. siti *directa*, ex minus principali *contraria*. Quod itaque  
 actionem *directam* attinet, datur illa in nostro casu depo-  
 nenti rem immobilem, adversus depositarium rei im-  
 14. mobilis ad rem depositam recuperandam *dict. §. 3.* Si  
 plures heredes uni successerint, & domus a defuncto a-  
 pud alium sit deposita, singulis quidem competit hæc  
 actio L. 1. §. 26. ff. *Deposita* tamen, ut quia domus est in-  
 dividua, illa tota uni petenti & satisfactionem idoneam  
 offerenti, de eo, quod supra ejus portionem est, resti-  
 15. tui possit. *Arg. dict. L. 1. §. 39. in fin. ff. Depos.* Quid si  
 autem satisfactio non interveniat? In *allegata Lege* di-  
 sponitur, quod illo casu res in æde sit deponenda; quod  
 cum quoad rem immobilem impossibile, iudex erit a-  
 16. deundus, *Arg. dict. Leg. ibi. Auctore pratore.* Si fun-  
 dum apud plures quis deposuerit, & omnium fidem in  
 solidum fuerit secutus, contra singulos actio depositi in  
 solidum competit L. 1. §. 43. ff. *Depos.* Si vero apud plures  
 communi periculo deposuerit, singuli pro rata tenentur,  
*Arg. L. 21. §. 1. ff. Commod.* nisi forte omnes dolum com-  
 mi-

31  
miserint Lauterb. *all. Tit. § 26.* Datur hæc actio in deposito 17  
voluntario in simpli, in necessario autem seu miserabili  
in duplum; si v. gr. domus tempore tumultus fuerit de-  
posita, & depositarius illam inficietur, vel restituere dolo  
detrectet, *L. 1. §. 1. ff. Depos.* crescit enim tunc perfidiæ cri-  
men, & maxime perniciosum est in tali deposito fidem  
frangere. *L. 1. §. 4. ff. dict. Tit.* Non solum autem res 18  
ipsa est restituenda, sed una cum fructibus & omni cau-  
sa *L. 1. §. 24. ff. dict. Tit.* Si itaque hortus depositus sit,  
& fructus erunt restituendi, si fundus, cum servis ad-  
scriptitiis vel animalibus ferreis; partus quoque in hanc  
actionem veniunt *dict. L. 1. §. 24. Depos.* Quid vero de 19  
usuris dicendum? Sane, si mora in restitutione domus  
vel fundi fuerit commissa, nihil obstat, quo minus &  
hæ, uti in aliis bonæ fidei actionibus peti possint. *L. 32.*  
*§. 2. ff. de Usur.* Ob solum vero usum rei immobilis de- 20  
positario a deponente concessum minus recte petuntur,  
nisi forte & hic mora interveniat per ea quæ tradit  
Franzke *ad Tit. Depos. num. 74. seq.* Si domus deposita 21  
dolo vel culpa depositarii deterior fuerit facta, vel plane  
etiam perierit, tenetur depositarius ad deteriorationis  
vel etiam totius domus æstimationem *L. 1. §. 16. ff. Depos.*  
juramento in litem factam *L. 1. §. 26. ff. dict. Tit.* Le- 22  
vem culpam regulariter non præstat, nisi (1.) honora-  
rium acceperit, tunc enim utriusque versatur utilitas,  
*L. 5. §. 2. ff. Commod.* vel (2) alia ratione utriusque gratia  
depositum sit contractum, ut si fundus vicinus sit depo-  
situs, in quo iter vel aquæductus est, vel (3) Deposita-  
rius ad eas depositas inhabitet, vel (4) deposito se obtule-  
rit. *L. 1. §. 35 ff. Depos.* Casus fortuitus & hic regula- 23  
riter

- riter ad deponentem pertinet L. 1. c. *Depos.* nisi forte depositarius pacto casum in se receperit, vel mora casum præcesserit. L. 12. §. 1. ff. *eod.* De eo autem controversia est inter DD. *an in communi periculo tumultus vel incendiis res deposita, in nostro casu domus propriis adibus sit præferenda?* Secundum communem opinionem distinguendum hic foret an domus deposita majoris sit pretii quam propria; illo casu dicunt domum depositam præferendam esse propriam, ita tamen, ut obneglectam domum propriam depositarius pretium a deponente repetere possit. vid. Laut. *dict. Tit. §. 33. ibique alleg.*
- 26 Sed magis hic placet sententia Dni. Stryckii in *Tract. de Cautel. Contract. Sect. 2. Cap. 3. §. 2.* qui indistincte asserit, depositarium obligatum non esse, ut tempore periculi res suas postponat & depositas liberet: nulla enim ratio naturalis aliquem compellere potest, ut damnum in re sua patiatur, quo proximi commodum magis promoveat; & sanè præstat ut depositarius rem suam salvam habeat, quam tabulas cautionis, Arg. L. 5. c. 6. ff. *de suspecti Tutor.* In contraria actione agit depositarius rei immobilis adversus deponentem, ad indemnitatem depositi nomine consequendam L. 5. pr. ff. *Depos.*
- 28 Huc pertinet, si depositarius in domum depositam quid in penderit, vel si in hortum, fundum, agrumve depositum quasdam fecerit impensas, Arg. L. 12. pr. c. L. 23. ff. *eod.* Deponens enim delevissima culpa tenetur; non tamen hic juratur in litem L. 5. pr. ff. *Depos.*

TANTUM.

❦ ( 0 ) ❦





ULB Halle  
003 742 709

3



TA → OL <sup>f</sup>  
nur 1+21 Stück rechnung pff





DISSERTATIO JURIDICA *1788, 2* *3t*  
*18.*  
DE

# DEPOSITO

RERUM IMMOBILIUM, *16*

*30a*  
**Übertragung unbeweglicher  
Güter /**

QUAM  
EX DECRETO  
MAGNIFICI RECTORUM ORDINIS  
IN ILLUSTRIS CHRISTIAN-ALBERTINA,  
*Solemni Disquisitioni subicit*  
PRÆSES

REINHOLDUS FRIDERICUS

**U S M E /**  
J. U. D.

RESPONDENTE  
CHRISTIANO ALBERTO OPITIO,  
Kilonienf. LL. Studiol.  
*D. 21. April. A. MDCC LIX.*

---

KILONI,  
Literis Bartholdi Reutheri, Academ. Typogr.

